

DIE 13 MAII
Beata Virgo Maria de Fatima
III Classis

Introitus **Heb. 4:16**

Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiae, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportune. (**T. P.** Allelúa, allelúa). **Ps. 44. 2** Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. **Glória Patri.** Adeámus cum.

Oratio

Peccatórum nostrórum, Dómine, multitúdo nre praevalénte, ad Beatae Mariae Virginis recúrrimos singuláre suffragium: ut, qui eiúsdem Cordis pietáte fovémur, tua misericórdia praeveniente, indulgéntiam delictórum consequámur. Per Dóminum nostrum.

Commemoration of St. Roberti Bellarmino, Ep., Conf., et Eccl. Doct.

Deus, qui ad errórum insídias repelléndas et Apostólicae Sedis jura propugnánta, beátum Robértum Pontíficem tuum atque Doctórem mira eruditiónē et virtúte decorásti: ejus méritis et intercessióne concéde: ut nos in veritátis amóre crescámus, et

errántium corda ad Ecclésiae tuae rédeant unitátem. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Is. 55: 1-3, 6-9

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchrae dilectionis, et timóris, et agnitionis, et sanctae spei. In me grátia omnis viae et veritatis: in me omnis spes vitae et virtútis. Transite ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatióibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes saeculórum. Qui edunt me, adhuc esúrent: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcident me, vitam aetérnam habébunt.

Allelúja, allelúja. **Luc. 1, 46-48**
Magníficat ánim a mea
Dóminum: et exultávit spíritus
meus in Deo salutári meo.
Alleluia. **¶** Beátam me dicent
omnes generatiónes, quia
ancíllam húmilem respéxit
Deus. Allelúia.



Sequentia sancti Evangelii secundum Ioánnem

Jn. 19:25-27

In illo tempore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Offertorium **Luc. 1:47,49**

Exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen ejus.

Secreta

Convérite, Dómine, quáesumus, nostras rebélles voluntátes et tríbue: ut, auxiliánte beatíssima Vírgine María, divina mysteria castis iucunditáibus celebrémus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

Commemoration of St. Roberti Bellarmino, Ep., Conf., et Eccl. Doct.

Hótias tibi, Dómine, in odórem suavitatis offérimus; et præsta ut beáti Robérti mónitis et exemplis edócti, per sémitas mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dominum.

Communio **Jn. 19:27** Dixit Jesus matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus: deinde dixit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Postcommunio

Pórrige, quáesumus, Dómine, déxteram tuam pópulo deprecanti, et cui tríbuis suplicándi benígnus afféctum, intercedénte Vírgine María, praebe plácatus auxílium, ut cuncta mala declínet et ómnia bona apprehéndat. Per Dóminum nostrum.

Commemoration of St. Roberti Bellarmino, Ep., Conf., et Eccl. Doct.

Sacraménta, quae súmpsimus, Dómine Deus noster, in nobis fóveant caritatis ardórem: quo beátus Robértus veheménter accénsus, pro Ecclésia tua se júgiter impendébat. Per Dominum Jesum Christum.